Stanislaus
...simiri Decus et praesidium Astraeae
...

DECUS
ET
PRÆSIDIUM
ASTRÆÆ,
SAGITTA SIERAKOWSCIANA,

dum

PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMVS DOMINVS

D. STANISLAUS
DE BOGVSŁAWICE
SIERAKOWSKI

In Ecclesia Cathedrali Posnaniensi Archidiaconus Sremensis, Metropolitanus Gnesnensis & Varsaviensis Canonicus, OFFICIALIS Generalis Posnaniensis, S.R.M. SECRETARIVS.

A

MAGNIFICO, PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO

D. M. ANDREA
KRUPECKI,

V. I. Doctore & Professore, Ecclesiarum, Collegiatæ SS. Omniũ Crac: Custode, Paræcianæ Luborzycensis Curato, Roszczeviano, & Contubernij Philosophorum Provisore, Canonizationis B. IOANNIS CANTII Procuratore, Studij Almæ Vniversitatis Crac: Generali & Vigilantissimo RECTORE,

IN LECTORIO DD. IVRIS PERITORVM,

Præsente Illustrium Hospitum, & Senatûs Academici Coronâ, ritu solenni renuntiaretur, in vim officiosæ venerationis,

A

M. CASIMIRO CEYPLER,


Philosophiæ Doctore, Matheseos Professore, Contubernij Ziziniani Seniore, plausu gratulatorio

CELEBRATA.

Anno, quo Incarnata Divina Iustitia de Cælo prospexit. 1703. Die 18. Dec:

CRACOVIÆ, Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL; S.R.M. Ord: Typ:

IN STEMMA
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
SIERAKOWSCIANÆ.



Sublimes oras SIERAKOWSCIA spectat Olympi,
Et temnit pigrum prompta SAGITTA solum.
Astræam novit terras liquiſſe profanas;
Hanc igitur meritò quærit in arce Poli.

IOSEPHUS de Slaſy SLASKI, Pocillatorides Mielnicen: Auditor Dialect.

Perge celer sursum SIERAKOWSCIA perge SAGITTA,
Attingas felix culmina celsa, precor.
Astræam super axe volens reperire, Curules
Invenias Lechicas, Præsuleasq; Mitras.

MICHAEL de Slaſy SLASKI, Pocillatorides Mielnicen: Dialect: Auditor.

DECVS & PRÆSIDIVM ASTRÆÆ SAGITTA SIERAKOWSCIANA.

Fallitur ille,
quisquis ita prorsus è terra Astræam excessisse putat,
vt de eadem non amplius sollicita sit.
Terrestris tantùm esse desijt, non tamen terrenorũ Arbitra.
Non aliter ac Phæbus;
qui eò in terris activior, quò elevatior.
Etiam nunc Astræa terricolarum negotia suspicit,
quamvis olim terras despexerit.
Et quoties scelera sævum extulerint caput,
toties illa, Nemesi decapitanda committit.
Sacro huic Numini,
Vt terras incolenti vitiorum colluvies odio fuerat;
ita nunc super astra degenti,
recti boniq; incrementum & animo est, & curæ.
Laborat Diva hæc Virago,
ne flagitiosi in virtutem insurgant Antæi,
aut, si fortè insurrexerint,
contumacem eorum nequitiam, aut flectit, aut premit.
Videt illa Cethegos, videt Catilinas,
tam sibi infensos, quàm Patriæ infestos:
sed opponit eorum ausibus Secures;
has quia temnere ausi, tremere coguntur.
Quippe timori ibi locus relinquitur, vbi contemptui denegatur.
Non caret vtiq; suis armis defensivis;

A qui-

quibus jus sceleri datum excutiat, licentiæ frenum inijciat,
exlex omne nefas legum censuræ rigoriq; subijciat.
Adsunt illi præstò munimenta,
quibus sacros Tripodes defendat,
Areopagos propugnet, Subsellia stabiliat,
Solonum & Lycurgorum authoritatem firmet.
Potiorem ego partem munimentorum ejus
Gentilitiam Tuam SAGITTAM veneror,

Perillustris & Reverendissime Domine

STANISLAE
DE BOGVSŁAWICE
SIERAKOWSKI

Archidiacone Sremensis, Canonice Gnesn:
OFFICIALIS Generalis Posn: &c. S.R.M. Secretarie.
quæ nunc Astrææ obtigit
decus summum & præsidium.
Adeo; vt non magis Labradeus Iupiter insignis sit ex ascia,
quam ipsi pro fulmine gerendam Carenses dedêre.
Nec potior Phæbo ex pharetra,
aut Palladi ex ægide sit majestas;
quàm Astrææ ex pernici Tua SAGITTA.
Hæc vindex honoris, Aras ejus tutabitur,
plus dicam; etiam exornabit.

Quidni exornet?

Quæ Consi Sarmatici Senaculis pretium dedit,
Gradivi legionibus palmarem tulit adoream,
divisitq; cum Patria gloriam,
in cujus meta semper auspicatiùs stetisse visa.
Quidni Illa muniat Astrææ Curias?
Quæ feroces Tauricanos impetus toties fregit,
Ipsa frangi nescia.
Catervas hostiles potenti acumine scidit,
vt Patria exoticis scissa armis cöaluisset.

In

In Athenæo Regni rectum omne & æquum defendit,
vt vel exinde rectitudinis conſcia noſceretur,
quòd in neutram partem flecti vnquam potuiſſet.
Dixi ego;
Sed dictis longus ſeculorum ordo fidem paravit.
Rem ſub Cortina, revelo:
Illuſtriſsimorum Prædeceſſorum Tuorum ſeries vota mea prævenit,
id totum priùs comprobans factis,
quàm è perennis memoriæ faſtis quidquam recenſuerim.
Quippe nihil in Tuis Majoribus non virtute magnum,
nihil, quod non excelsũ gloriæ faſtigium teneat, dici exprimiq; arduũ,
nihil, quod non ſplendidum, majeſtateq; ſuâ decorum,
nihil, quod non clarum Patriæ accendat diem.
Propago Tua, Propago eſt Heroum,
quales olim augebant Divorum numerum.
Quotquot Nomina ex Illa computarem,
tot Decora & Præſidia Patriæ recenſerem:
omnia laudi Familiæ, ſed pudori Eloquentiæ,
quòd hæc pro elogijs Eorum deſudans,
ſudoris tantùm guttas eliciat, non encomiorum gemmas.
Abſit Damoclis menti affine quidquam.
En prodit Avitæ Propaginis Decus,
Sarmaticus re & nomine Camillus,
V E N C E S Ł A V S
DE BOGVSŁAWICE
SIERAKOWSKI
Breſtenſis Vexillifer,
Cui nullum majus votorum optabile fuerat,
quàm Patriæ libertatem aſſerere,
& pro Gentis honore magna agere.
Expedijt vtrumq;
Heros, *haud vlli veterum virtute ſecundus.*
Magnitudo Ejus animi in vivis ſuis Iconibus,
(dignos tanto Patre Filios intelligo) expreſſa eſt:
Quorum alter BALTHASAR,
grata caſtæ mentis thura Illi obtulit,

 qui

qui *secundùm Ordinem Melchisedec* Sacerdotum Caput est.
Cui ita adhæsit;
vt omnem honorem, præter hunc, minorem duxerit.
Alter gratiosi nominis IOANNES,
non tam *melle sylvestri*,
quàm Hyblæo eloquij thymo, faustis sub penetralibus educatus.
Aureus verè Poloniæ Civis,
Cujus caput purum certè obryzum sapiebat.
Referendarium Regni agens,
Lingua Regis fuerat,
tam Regi, quàm Patriæ suavia loquens.
nec mirum:
Quia in Reges fide & candore, in Rempubl: amore animata fuit.
Landensis priùs Castellanus, mox Calissiensis factus,
tandem Palatinatûs Lanciciensis Curulem ascendit,
Prædecensi Capitaneatu, & Moderatione Gedanensi auctâ.
Cui hoc vnum deesse videbatur,
quòd ampliori honorum satellitio non cingeretur,
dotum tantarum stipatus coronâ.
Cyneas Lechicus, ad Exteros missus Orator,
pro Purpura Regis sui rosas & lilia locutus.
Adeo;
vt totum Hymettum floridioris facundiæ,
augusto Ori Ejus insedisse Gentes crederent;
aut ipsas Charites per Illum locutas,
quas nomine suo complexus est.
Verùm qui Os Tanti Senatoris æstimat,
Cor Illius etiam admiretur, est necesse:
Quippe hoc, totum Martem spirans,
æquè sibi gloriam, ac Patriæ commoda reliquit:
Vocale est gestorum Ejus præconium ipsa Lechia,
& sumptu magnifico, quem impendit,
& milite, quem conduxit, defensa protunc;
cùm maximè vicinorum armis & prædæ patuit,
scilicet intra 2. Interregnorum interstitia.
Et quia *è nido Aquilarum corvi non evolant*,
sed digna Phœbo Proles; Ex

Ex Illlustr: SIERAKOWSCIANA Prosapia
Quis non magnæ mentis, & paris Majoribus indolis?
Specto hanc
in STANISLAO, Kovaliensi, & pòst, Landensi;
IANVSIO, Brestensi Cuiaviensi,
MARTINO, Inovladislaviensi, Castellanis,
Capitaneis Prædecensibus.
Quanta hæc fuêre Nomina!
Dicat Consus Sarmaticus.
Hic vtiq; fidem Eorum in DEVM, pietatem in Ecclesiam,
amorem in bonum publicum, rectitudinem consiliorũ in Patriã
& vidit, & probavit optimè.
At, quid SAMVEL, si Eum recensuero?
nisi laudatissimæ ad virtutis regulam vitæ Idea.
Præmonstratensiũ Ille tantùm Commissarius Generalis fuerat,
sed meritis honores supergressus;
dignus, vt verior Samuel fieret,
hoc est, Coronata inungens Capita.
Quid STANISLAVS?
Cuius Genium verè Religiosum Fama commendat.
Abbas Ille in Monte Crucis creatus,
ascendit in Montem Sanctum innocens manibus, & mundo corde:
Nec altiùs iam ex hoc Monte ascendere voluit,
gloriari renuens *nisi in Cruce Domini.*
Didicisset vtinam nunc Orbis Polonus;
sic alloqui Principes & Duces exteros, vt decet,
Ex LVCA, Crusuiciẽsi, pòst Lãdensi Castellano.
Tullius Hic Lechicus,
non magis Attico lepore, quàm animi candore celebris,
Commissa Legationis suæ ad Prussiæ & Sueciæ Exercituũ Duces,
vel ideo feliciùs expedijt,
quia Fabritium Romanum mente retulit:
tam munera temnentem,
quàm conceptum in Patriam amorem cautissimè tenentem.
Servavit proinde honorem Regni,
B
quia

quia nullum honorarium servandum accepit;
& sibi gloriæ, & posterorum exemplo.
Notavit Astræa inter rutilos siderum splendores;
venerandum quondam ad suam Aram Præsidis Nomen,
MARTINI, Gen.ⁱˢ Tribunalis Reg.ⁱˢ Mareschalci.
Quid mirum?
Magnus Regni Aristides Decus Illius fuerat.
Ferebant alij pro insontibus, vel contra sontes, vota,
Hic semper Definitivam locutus;
vt votis, ex munere, sic litibus abstrusis ex prudentia,
terminum & finem imponebat.
Eminere inter illustres Viros si pulchrum est,
Cordubensi fatente Vate:
Prima certè laudis portio cedet
STANISLAO, Succamerario Dobrinensi.
Quippe Hic Nobilitatis Princeps,
non honore tantùm eminuit, sed & animo.
Coronamentum hæreditariæ gloriæ addit Fama,
ALBERTVM & ANDREAM,
Illum Ripinensem, Hunc Dobrinensem Castellanum:
Molem Hi curarum Regni robustis consilijs sustinuêre,
bajuli Reipubl: Atlantes.
Nôrint sæcula Alios, qui præcessere;
Pagina mea in paucis sæcula plurima comprehendit;
quæ meritis, & meritorum pedisequis honoribus,
implevit Propago SIERAKOWSCIANA.
Amplissimum Magnorum Domûs istius Heroum syllabum,
Animarum Conso, & Gradivo dilectarum,
diphtera æternitatis meliùs complectitur.
Inter Purpuratos Prosapiæ Tuæ Proceres
& pietate, & meritis, & consilio gravis,
Cato Sarmaticus, totus lynceus,
in prævidendis Patriæ periculis perspicacissimus;
Encomiastarum mentes fatigat,
IOANNES Castellanus Bidgostiensis,
Avus Magne Prælate Tuus.
Vir consummatæ prudentiæ.

Cujus

Cuius ætas tota Patriæ bono dicata, immortalitatem meruit,
& perennem Lechiadum memoriam.
Laudis Ejus pars maxima est Filius,

GASPAR
DE BOGVSŁAWICE
SIERAKOWSKI

Parens Tuus,
Prælate Reverendissime.
In quo metempsychosim virtutum Paternarum
Orbis admisisse debuit.
Quid enim augusti Illius pectoris conclave?
nisi bonorum omnium, recti, honestiq; Pantheon.
Vir ad Patriæ oracula natus,
quæ, vt ex dignissimo mentis suæ Tripode prompsisset,
Curulem Ei Castellanatûs Kovaliensis Consus obtulit.
Hanc, quòd conscendere recusaverit,
animi modestiam spirantis, indicium esto.
Fulgere virtutum radijs pluris duxit,
quàm honorum luce.
Dignitatem prætulit honori,
& rectiùs:
Jlla vtiq; est in benemerito, hic in honorante tantùm.
Dolet eousq; Polonia Decora sua amisisse,
In SAMVELE, Capitaneo Bielscensi,
Et ALBERTO Decano Chełmen: Can: Crac:
Abbatiæ S. Crucis Cöadjutore,
Patruis Tuis.
Quorum Ille redivivus velut Scipio,
in acie Bellonæ tam felix ad palmas, quàm promptus ad pugnas.
Alter Numam Latium mente referens,
probitatis & sublimioris literaturæ encyclopædia,
Regis cordi ad delicium fuerat.
A Ser: IOANNE CASIMIRO ad Exteros miss9
non ampliùs redux ad Patriam.
Quippe divertit in longinquam *Regionem*,
sed meliorem, quia *Vivorum*.

Habet etiamnum, quibus Lechia glorietur;
ex Illustrissima Domo Tua Decoribus.
Ornant Curules Senatorias,
PAVLVS, Castellanus Dobrinensis,
IOANNES, Castellanus Bełzensis,
Illustrissimi olim IABŁONOVII
Castellani Cracov: Supremi Exercituũ Ducis Amittinus Frater.
In Generalibus Regni Conventibus, cum plausu,
in Themidos Polonæ sacrario, cum stupore,
publica munia dexterrimè expedijt Vterq;.
Certior itaq; Cassandra Virtus,
altiora PAVLI meritis in Senatu spondet Subsellia.
Cùm jam IOANNES in liberrima, quia Cælesti Republica,
Curulem *inter viginti quatuor Seniores* occupaverit.
Insistit tamen Magni Patris vestigijs MICHAEL,
verè MICHAEL, quia in prælijs Heroum Antesignanus.
Cui, prout virtus Avita ad benemerendum hortatrix est,
sic ad Trabeas Patriæ prodroma fiet.
Ampliat inter fortes inventam gloriam,
STEPHAN9 Cohortis Cataphractorũ Ductor.
Cui pro stephanomate, Laureæ sunt Campestres.
Nec alios Ille ambit honores,
nisi quos triumphi & trophæa pariunt.
Dixissem universaliùs,
Omnem tantæ Prosapiæ Hæredem virtutis Avitæ esse Successorẽ;
nisi vnusquisq; singulariùs dotibus emineret.
En prodit sago clarus, Purpurâ dignus Senatoriâ,
IOANNES Dapifer Zakrocimensis,
Frater Tuus Germanus.
Cuius animum bellator spiritus ad militare decus excoluit.
Propitios Ille semper Bellonæ favores expertus,
quoties cordatum pectus hostibus opposuit,
solo Patriæ amore obarmatum.
Maturitas consilij, & perspicax in negotijs animus,
quid nisi Laticlavia promittit?
Crescentes Illius Ascanij,
Quos magnus Æneas ad rectefacta excitat, Sic

sic Olympia virtutis & doctrinæ decurrunt;
vt gloriam Palladi Sarmaticæ, Patriæ solatium ferant.
Conjunctus æquè Fraterno sanguine ac animo Heros,
MICHAEL Tribunus Lanciciensis,
Martiæ dexteritatis prototypus.
Cujus virile Cor illæ dotes occupârunt,
quæ Magnos in Republ. Viros decent.
Lechicus, Achilles propugnaturus Patriam alacrior jvit,
quò Classicum Epaminondæ Sarmatici duxit.
Qui sub dio suavem duxit vitam inter fortes,
vivet inter Proceres, & exemplo Majorum,
Responsa dabit ex Curuli.
Hæc sunt Decora & Præsidia Patriæ,
Quæ Gentilitius Tuus POWAŁA Astrææ confert.
At potius illa sibi pretium ominatur,
dum cognata etiam Tuæ Familiæ sortitur Lumina.
Divisa hæc, sat Astræam illustrem redderent;
Quid, si ea jam collecta tenet?
Gloriatur Magnis in Republ: Nominibus,
NICOLAO, Castellano Raciasensi;
ADAMO, Iudice Terrestri Płocensi,
KEMPSCIIS.
Gaudet IOANNE KADZIDŁOWSKI, Succamer: Inovladis:
MELCHIORE, Castellano Siradiensi,
CASIMIRO, Castellano Brestensi, Cujaviensi,
GRVDZINSCIIS;
omnibus meritorum & famæ claritudine summis.
Imò, quidquid in Ducali WISNIOWIECIORVM Stirpe videt,
quidquid splendoris stupet in KORYBVTHEI Sanguinis Gēma,
Serenissimo MICHAELE, Rege Poloniæ;
id totum cessisse sibi in decus & præsidium æstimat,
ex proximo ZAMOYSCIORVM & KOSTKORVM Sanguine.
Miratur Astræa illis se auctam ornamentis,
quæ ætas nostra integerrimè colit.
Sed totam sortem Tuæ SAGITTÆ subscribit,
pernici gloriæ cursu
WIERZBOWSCIORVM, ZALINIORVM, NARZEMSCIORVM,
PADNIEWSCIORVM, SMOGVLECCIORVM, KOŁVDZCIORVM,

OPA-

OPALENSCIORVM, TARŁOVIORVM, ŁACCIORVM, TRZEBVCHOWSCIORVM, MIELZYNSCIORVM, POTVLICCIORVM, ZEBRZYDOVIORVM, IORDANORVM, LVBOMIRSCIORVM, STADNICCIORVM, SIENIAWSCIORVM, RYDZYNSCIORVM, DANIEŁOVICIORVM, DĘBINSCIORVM, POTOCCIORVM, LANDZKORONSCIORVM, MAKOWIECIORVM, ZBOROVIORVM, RADOLINSCIORVM,

inquilina decora attingenti.

Gestit non minùs videri,

inter Illustrissimi Materni Sanguinis Tui splendores,

quos in se, ceu Solis radios reflectit feliciùs.

Adeo; vt jam communis illi sit hæc claritudo,

quam Avitæ invehunt Prosapiæ,

MIŁONSCIORVM, CZARNKOWSCIORVM, BYKOWSCIORVM, LATALSCIORVM, GROCHOWSCIORVM, GRABINSCIORVM, SIEMIANOWSCIORVM, KONOPACCIORVM,

consanguineis nexibus Tibi sociatæ.

At, ne quid decori Astrææ spectatissimo desit,

aurea Magnarum in Lechia Stirpium vincula,

Lectissimi sanguinis torque colligata,

ceu Gordium in Iovis templo Nodum,

in Augustali suo appendit.

Iactando gloriosiùs;

quod in Palatinatu Siradiensi,

MĄCZYNSCIORVM, ZAPOLSCIORVM, TACZANOWSCIORVM, GOMOLENSCIORVM, MYCIELSCIORVM, PRAZMOVIORVM.

in Cujaviensi, GRACHOVICCIORVM, NIEMOIEWSCIORVM, DĄBSCIORVM, ŁĘTKOVIORVM,

in Dobrinensi, MNIEWSCIORVM, SKRZYNSCIORVM, SZAMOWSCIORVM, POKRZYWNICCIORVM, IWANSCIORVM, BARDZINIORVM, KOSOVIORVM, WALEWSCIORVM,

in Ravensi, PLICHTORVM, SOKOŁOVIORVM, NIEBOROVIORVM, SZYMANOWSCIORVM, LVBANSCIORVM,

in Prussia, KONARSCIORVM, DZIEWANOWSCIORVM, MITNOWICIORVM, KRETKOWSCIORVM, BALINSCIORVM,

hæreditaria decora complectatur.

Quid aliud est, tam fæcunda Prosapiarum

cum Gentilitio Tuo POWAŁA conjunctio?

nisi grando gemmea, & pretiosissimus imber:

quo, ceu Pallas ad natales suos, circumfunderis.

Dignitatem Tuam vel ex hoc solo metiaris,

NEO-

NEODOCTOR Reverendiſſime.

Phæbum Planetarum Principem vna tantùm præcedit Aurora.
Tu tot Auroras habes nitentiſsimas,
quot Majores digniſsimi præceſſêre.
Ex Teipſo nihilominus maximus appares,
Qui acceptam à Majoribus lucem ampliâſti,
tam animi, quàm operum magnitudine.
Adeo; vt Ipſe Tibi ſis pretium ſat magnificum;
Aſtrææ decus ſublime & præſidium.
Quidni ita?
Indoles Tua cùm tenerior adhuc eſſet,
omnia Avitæ Domûs lineamenta ſic referebat;
vt vel ipſe Sarmaticus Apollo,
Te vnum, Majorum gloriam, & menſuram cæterorum,
maturo judicio approbâſſet.
Excultum dignîs Magno Sanguine ſtudijs Genium
Aulæ Regiæ dum viſendum dediſti;
toti illum Orbi Lechico monſtrâſti.
Quid enim Aula Regia, niſi totius Regni compendium?
adeoq; publicum virtutum meritorumq; theatrum.
Spectavêre mentem Tuam Tiarati Proceres,
Nec mirum, quòd eandem dignè penſaverint;
illibata vtiq; fuerat, & ea, quæ Myſtarum Summos decet.
Puræ huic menti & candidæ,
Vltro patuit Archi-metropolitanum LILIETVM.
In quo non vernant, niſi Lilia,
vt genere excelſa, ſic candore eximia.
Regalis Sacerdotij eminentior Portio,
Prælati Poſnanienſes,
Cordium ſuorum penetralia Tibi patefecerunt.
Quidni enim candida Eorum recludantur pectora?
Cùm vel ipſe Petrus Tibi obtulerit vltro
Gentilitias Peraugusti Capituli Poſnanienſis CLAVES,
tanta Auguſtalia reſerantes.
Mentem Tuam omnigenæ virtutis theſaurum,
ſi quis ſagacior animorum Apelles exprimere conaretur,
multorum decora colligere deberet, vt eam efformaret.

vtpote in qua prudentia Catonis, affabilitas Trajani,
innata in literatos propensio Mecænatis, facundia Isocratis,
munificentia Vespasiani, Divini Platonis ingenium,
gratia sine respectu, candor sine fuco, comitas sine crysi.
Sanè, quidquid magnos exornat Viros,
In Te, ceu in vniversali virtutum Subjecto illustriùs radiat.
Adeo; vt rarum Themistoclem æmulatorem Tui invenias.
Absolutum Te omnibus numeris Virum
venerata est Themis Sarmatica,
in cujus Areopago Tribunalitio oracula toties promebas,
quoties aut Vice-Præsidens ex Gnesnensi,
aut Deputatus ex Posnaniensi Cathedra,
Iudiciale Subsellium occupâsti.
Suadæ Tuæ gratiam stupuit Serenissima IUNO BAVARIÆ.
Quæ connubiali fœdere sociata ad IOVEM suum festinans,
Inter Posnaniensis fastigia Cathedræ à Te salutata,
didicit, non solam Helladem triumphare in Demosthene,
sed etiam in Te Lechiam.
Tantarum virtutum eminentiâ conspicuus,
pridem hæc culmina dignitatum, quæ nunc tenes, possedisses;
si tam promptus esses ad quærendos honores,
quàm ad præstanda merita.
Non festino passu gradus honorum conscendisti,
Et meliùs: *fulgur dum subitò accenditur, citò deperit.*
Sol quò citiùs oritur, citiùs tempestuosis nubibus obscuratur:
Cynthia in plenilunio nitidior, quia sensim in lumine crevit:
En tandem Te merita quærentem, invenêre honores;
& quidem ejusmodi;
vt divisum imperium cum Iove Diæcesano teneas.
Præsulibus habes cognatas dignitates,
quia Præsulibus debita exerces officia.
Quid enim Archidiaconus?
nisi Episcopi Oculus vigilans, illuminans, attendens.
Quid Officialis Generalis?
nisi Episcopi dextra Manus,
virgam directionis, virgam Regni sacri tenens.
Citra mentem Tuam isti honores sunt, sed ex mente omnium,
& præcipuè ex voto

Illu.

Illustrissimorum & Reverendissimorum

STANISLAI WITWICKI,

&

NICOLAI SWIĘCICKI,

Posnaniensium Antistitum.

Quorum Ille

Pupillam Te suam elegit in Archidiaconatu Sremensi,
Hic vices Pastoralis Iurisdictionis Tibi contulit,
& Sacri Tribunalis potestatem;
vt curarum Tuarum partem Ecclesiæ donares,
Spirituali disciplinæ incrementum, Clero tutelam provideres.
Faustiora horum omnium initia Cælo patent;
quæ in dies augmentum sument,
quamdiu plena optimi exempli, Tua fulgebit authoritas.
Coronantur jam in Te Laureâ Sacræ Themidos,
hæc dotum virtutumq; pretia:
vt cùm fuerint laureata, Astrææ sint propria.
Applaudit tanto Actui vel ipse Phæbus,
pulchriùs hodie nitens in Sagittario,
dicam veriùs:

in SAGITTA Tua Gentilitia;

Quam abhinc Diva Astræa habebit

DECVS summum & PRÆSIDIVM.

ACCLAMATIO
LVBRANSCIANI APOLLINIS.

EN ego diſtanti longè Regione locatus,
Ad tumulum CHRABRY poſitus Vartamq; fluentem,
Ex Helicone meo Phæbus, dum ſumma nitentis
Aſtra Poli ſpecto; cultu ſpecioſa ſereno,
In plauſus effuſa novos, & gaudia mille,
Occurrit Dea ſponte meis obtutibus. Illam
Aſtræam agnovi, ex dextra verſante bilancem,
Et gladium atrocem, ſceleratis fata minantem.
Intueorq; magis Numen conſtante decorum
Lætitiâ, cauſaſq; volens reſcire latentes;
Sciſcitor ex illa, lætæ quæ mentis origo?
Exultans vltro vultu reſponſa benigno
Præbet, & hærentem dictis me affatur amicis:
Quòd nequeam cohibere feris mea pectora vinclis
Triſtitiæ, cauſa eſt. SIERAKOWSCIA digna SAGITTA
Præſidium conceſſa mihi eſt, decus atq; coruſcum.
Iſta SAGITTA tuis præſens tutela Camænis,
O quoties largos cumulavit ſponte favores!
Tela Tuæ famæ quoties inimica repreſsit!
Horroremq; gravem minitata eſt hoſtibus vltrix.
Semper abhinc Aras Themidos, ſacrumq; Tribunal
Muniet, atq; libens ſolidum vibrabit acumen
In temeratores legum, & decreta ferentûm.
Audijt Aſtrææ Phæbus pia dicta Lubranus,
Et votum plaudente ſono geminavit alacris.
O vtinam curſu volucri SIERAKOWSCIA tangat
Celſa SAGITTA ſcopum, conſtans vbi laudis & almi
Splendet honoris apex, Conſi Trabeataq; fulgent
Præmia, per Lechicas, Latias ſeu ſparſa Curules.